UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Selectae Christiani Orbis Deliciae ex Vrbibus, Templis, Bibliothecis, et aliunde

Sweerts, Pierre François

Coloniae Agrippinae, M. DC. IIX.

Vvirtebergensia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-69234

Visual Library

EPITAPHIVM, QVOD BALTHASAR
MENCIVS LETHALITER DECVMBENS
Romæ ſibi ipſe fecit.

Parcat liuor iners tenebris & morte ſepulto,
Cuius nunquam vlli vita moleſta fuit.
Stemmate Menciades, patria ſum ſaxo, Camœnis,
Ars mea, & æterno ſeruijt vsq; Deo.
Scis iam, qui fuerim; quis tu ſis, neſcio, Lector,
In tenebris : ipſum te rogo noſſe velis.

VVIRTEBERGENSIA.

ILluſtriſſ. Principi ac Dominæ, D. ANNAE Du-
ci VVIRTENBERG. Ducis Vldrici, &c. filię
dulciſſ. Quam benigna Dei manus ex iſta fragi-
li & caduca rerum humanarum cõditione, nedu-
tius calamitoſis & tumeſcẽtibus ærumnarum pro-
cellis miſera quateretur, adoleſcentulam tenerr.
atq; in ipſo blãdiſſimo virginitatis flore an. Domi-
ni M.D.XXX. menſ. Iunij XXIX. ætatis verò eius
XVII. feliciter eripuit: huic, inquam, in hunc lo-
cum amœniſſ. vbi iam Carthuſianorum latibula
Auraci, cùm illic ann. XXIV. ſepulta iacuiſſet, col-
laberentur, traductæ Illuſtriſſ. Dux Chriſtoferus
Dux VVirtemb. clementiſſ. vnicæ ſorori ſuæ dile-
ctiſſ. ad perpetuam memoriam hîc erigi voluit, an-
no Domini M. D. LIV.

CHRISTO CRVCIF. GLOR.

Memoriæ Illuſtriſſimi Principis Vlrici Ducis
de VVirtemberg. &c. infantis dilectiſſ. P. Qui vi-
xit menſ. II. d. I. ⊖. an. Chriſti M.D.LVIII. menſ.
Iulio, d. VII. cuius oſſa VIII. eiuſdem menſis, huc
adau-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ad auita conditoria depoſita ſunt. V. C. V.

Principis VLRICI potuiſti tollere corpus
Inuida mors, animam tollere nulla potes.
Scilicet hoc ſolo fuerat mortalis. At idem
Parte tamen viuit nobiliore ſui.

D. O. M. S.

Vt omne natum caducitati ſubiectum, ita & eodem decreto, Illuſtriſſ. Princeps Maximilianus Dux VVirtemberg. &c. Anno ſalut. M. D. LVI. XXVII. die Auguſti natus, menſ. VI. dieb. XXII. ſuperſtes, infans dulciſſ. parentes optatæ vitæ deſiderio priuauit ann. Chriſti M. D. LVII. menſ. Mart. die XVII. Cuius oſſa XIX. eiuſdem menſ. huc ad auita conditoria translata ſunt.

VVIRTZEBVRGENSIA, VEL HERBIPOLENSIA.

IN SVMMO TEMPLO.

Conrado à Thvngen Epiſcopo VVirtzeburg. & Franciæ Orientalis Duci, præcipuæ viro iuſtitiæ, egregiæ eruditionis, temperantiæ ſingularis, acutiſſimiq; iudicij, quem primo ſtatim ſuſceptæ adminiſtrationis limite arreptum veſani huius ſeculi diſſidiũ, ſeditio, & calũnia ſeueriter diu & contumelioſè habitum, vnà cum Eccleſia eius, extremæ penè ſubieciſſent internecioni, in Deo ſuffragante, aduerſus iniquiſſimæ fortunæ procellas vigili prudentia, infracta dexteritate, tolerantiaq; mirãda grauiter ſuperaſſet,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN